

Johann Adam Osiander Friedrich Benjamin Speidel


Disputatio De iure Patronatus, Episcopatus, Clericatus, Eorumque Accessoriis

Tubingae: Typis Kernerianis, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788078992>

Druck Freier  Zugang







54.

Fa - 1092 (54.)

1. Tractatus Theolog. de Cræstinaoe D. Holzfur.
2. De Jure Sabbathi. Stryck.
3. De Herba Borith. Jerem. 22.
- 4.



37
36.
64
34.
33.
31.
21
2
4
6
5
58.
16.
17.6.
18.3
19.



52. 7
69.

DISPUTATIO
DE
JURE PATRONATUS,
EPISCOPATUS, CLERICATUS,
EORUMQUE ACCESSORIIS,

Quam
SUB PATROCINIO

Sanctissimi animarum nostrarum Archiepiscopi,

ET PRÆSIDIO,

Magnifici atq; Reverendissimi VIRI

DN. JOH. ADAMI OSIANDRI,
SS. Theologiæ Doctoris, ejusdemq; Professoris
Publ. Ord. Universitatis Cancellarii, & Præpositi Ecclesiæ
Tubingensis.

Præceptoris, Patroni atque Promotoris sui ætatem
sanctè Devenerandi.

Publicæ disquisitioni exhibet

M. FRIDERICUS BENJAMIN Speidels
DARMSHEIM. Auth. & Resp.

In

AUDITORIO JURIDICO,

Ad dies Decembr.

TUBINGÆ,
TYPIS KERNERIANIS, 1681.

*Magnificâ Auctoritate, Reverendâ Dignitate, Stre-
nuâ atque Prænobili Excellentia Consiliorum gravitate, offi-
ciorumque ac meritorum amplitudine perinclytis*

Dominis :

DN. CHRISTOPHORO WÖLFFLINO,
SS. Theologiæ Doctori: Ecclesiæ Cathedralis, quæ Stutgar-
diæ est, Præposito: Serenissimo Wirtembergiæ Duci à Sa-
cris Confessionibus & Ecclesiasticis Consiliis: Meritissimo
de Ecclesiâ, rebusque Patriæ Theologo.

DN. ANDREÆ BARDILI, Consumma-
tissimo Utr. Juris Doctori, Serenissimi Wirtembergiæ Du-
cis Consiliario, Ducalis Consistorii Vice-Directori; Re-
dituumq; Ecclesiasticorum ac Fisci Episcopalis Advocato.

DN. JOH. LAURENTIO SCHIDLINO,
Collegiæ Stutgardiensium Ecclesiæ Antistiti, Consilia-
rio Wirtembergico, Monasterii Herrenalbensis Prælato,
& Illustris Consistorii Assessori.

DN. JOH. FRIDERICO HOCHSTETTERO,
Serenissimi Wirtembergiæ Ducis Concionatori Aulico,
& Consistoriali Consiliario.

DN. BARTHOLOMÆO HAGE,
Serenissimo Wirtembergiæ Duci à Sacris Concionibus &
Consiliis Ecclesiasticis.


Dominis suis faventissimis,

Hocce suarum lucubrationum specimen

offerre debuis ex obligatione,

Submississimus Clicas

M. FRIDERICUS BENJAMIN Speidel
Auth. & Resp.



T H E S I S I.

Us missionis mediatae Pastorum communiter hodie penes patronos Ecclesiarum est. Quae mittendi ratio sese tuetur *I. jure communi*. Est enim naturalis aequitatis, cum, qui Ecclesiam suis sumptibus vel fundavit, vel dotavit, vel reparavit, gaudere praeter caeteris praerogativa rectoris in suam parochiam mittendi: qui enim sensit majora reliquis onera, illum & majora commoda, honores ac praerogativas exinde sentire par est. *l. 10. ff. de R. 1. l. 6. §. 2. de communi divid. l. 15. §. 4. ff. de legat. praestand.* *II. jure Civili. Authent. Coll. IX. Nov. 123. cap. 18.* Unde Patrono circa hoc negotium turbato remedium Juris datur per actionem ingrati. *l. pen. 3. C. de libert. & cor. lib.* *III. jure divino generali*, ut rixae in Ecclesia submoveantur. *1. Cor. XI, 16.* quis vero nescit multitudinem decernentium plurimum parere rixas. Pufendorf. *d. iur. Nat. & Gent. lib. 7. c. 5. §. 7.* Et hanc fuisse impulsivam veteris Ecclesiae palmariam, cur ad pauciores denominationem Pastoris devolveret, patet ex citatis in *Theol. Cas. D. Osiand. de Min. Eccl. c. 2. p. 427.* *Obj. 1.* Subjunctum praeficiendum a tota Ecclesia Synthetica esse determinandum, exemplo primitivae Ecclesiae. *Act. VI, 3.* *R.* Electionem in se esse quidem indifferentem, sed ad certas personas restringi, per rationes allatas. *2.* a statu Ecclesiae formandae ad statum Ecclesiae formatae, nulla valet conseq. *3.* Volentibus non fit injuria, cum plerique Auditores in ministros praesentatos per silentium interpretative consentiant: *qui enim tacet, tempore quo loquendum, is consentire praesumitur. l. 2. ff. de iudic.* *Obj. 2.* sic nos gratificari vel Romanensibus, qui ad Magistratus Ecclesiasticos exclusivae: vel pseudopoliticis quibusdam, qui ad regalia politici status, ex falsa hypothese, quod sit in sacris & profanis potestatis architectonicae, jus instituendorum ministrorum solum pertinere adserunt, quae sententia sequens thesis diluet. *Obj. 3.* ex accidente esse, ut multitudo praesentantium in rixas discedat, cum vanus hic metus jam olim per regimen Democraticum adversus Aristocraticum & Monarchicum efficaciter sit elusus. *R.* etiam malum ex accidente cavendum do-

ceri. *Deut. VII, 3. 4.* 2. Quo quid magis accedit ad unum, eò est perfectius. 3. Monarchicam imperandi formam cæteris esse excellentiorem, ex plurimis ostendit Pufendorf. *de iur. nat. & gent. l. 7. c. 3. §. 4.*

II.

Neque tamen Ecclesiæ formatæ in electum pastorem non consentienti, Pastor obtrudendus est. Excipit enim exceptione peremptoriâ *iuris* auditorium adversus talem processum facti, ex normâ legis divinæ, quâ consensus ipsius legitimatur. *I. Cor. XVI, 3. I. Timoth. III, 7. Act. VI, 3.* Et inutiles esse tales promotiones Jure iurâ civili, tum canonico, Jurisconsulti docent ex textibus. *Can. c. 9. & seq. caus. l. 9. 3. & Aurb. Coll. IX. Nov. 123. c. 18. Nov. 137. c. 2. Nec obstat*, inhabilita esse auditoria laicalia, ad declarandam sufficientiam præficiendi, adeoque hoc negotium superioribus tanquam mandatariis aut delegatis committendum. *Re Neg.* cùm nullum non auditorium tantâ ignorantia laboraret (*iuris enim & qua vinci potest ignorantia non excusat*,) quin ab ipso Spiritu S. ad id habile declaretur, *I. Ioh. IV, 6.* 2. Gradualis differentia modi cognoscendi, non tollit omnem modum cognoscendi. 3. In spiritualibus nullo Jure effectu obligari delegatos, eò quod non possint præstare indemnitate evictionem committentibus, si fallantur iudicio: neque committentes spondere luitionem erroris aut damni apud DEUM, si quod dederint, aut commiserint delegati: admittuntur enim in tali foro soli mandatarii cum voto Principalis evidenti, ex causâ, quod in die decisoria pro se quisque rationem sit redditurus. *Rom. XIV, 12.* *Non obstat* 2. potestatem hanc popularem per juramentum fidelitatis evacuatam esse in magistratum supremum: adeoque rebellionis accusandos subditos, si præsentatum recusent ob vitia doctrinæ vel morum, *Re. Divinæ*, eiq; immutabili legi jure humano inefficaciter præscribi, vi textus, *I. Ioh. IV, 10.* Ordinariè tamen omnes 3. status hierarchici concurrunt in hoc negotio: quando scilicet, magistratus politicus ex Jure gentium informatus ad Ecclesiam sibi patronatam instituendum vocat: Ecclesiasticus vi ordinis confirmat: & popularis rationabiliter suffragatur. *D. Osiander Cancell. Cas. Theol. de Min. Eccl. p. 380. & p. 424.*

III.

Patronus heterodoxus tenetur præsentare ministrum ejus religionis, cujus est Episcopus ministri dicecæsanus. Requiritur enim tale subjectum, cujus ad curatum officium habilitas Episcopo

scopo possit probari, vi textus I. Tim. V, 22. cùm accuratior censura, fidei præpimis; sit penes solos Episcopos; nequit autem Episcopus de Jure probare heterodoxum aut inhabilem, ut Juris consulti observant ex *Can. 73. caus. 1. q. 1. ll. 31. 34. 47. C. de Episc. & Cler. Novell. 123. c. 1. 12. 18.* secus introduceretur syncretismus in fide, contra illud: *μη γινώσθω ἕρεπο- ζυγῶτες ἀπίστοις*, II. Cor. VI, 14. 16. simulque *Jus Episcopale*, quod statibus Imperii immediatis, & qui his æquipollent, secularibus; *Norimberga*, 1532. tributum, *Ratispona* 1552. plenè restitutum, *Augusta* 1555. confirmatum, *Osnabruggi* denique 1648. sub sanctione legum imperii *fundamentalium* instauratum fuit, & regulariter mediantibus *Consistoriis* exercetur per terras, in quibus Domino vi superioritatis jus immutandæ religionis competit, *turbaretur*, quod esset contra pacem religionis, exhibitam in transactione *Passaviensi*: §. *Damit auch. 7. ibi: ihren Gang lassen / und kein Hindernus oder Eintrag dardurch beschehen.* Antiquis, sed malè fidei possessoribus Episcopatum favere videntur quidam ex nostratibus Jureconsultis, quando Evangelicos Principes appellant Episcopatum fiduciarios, depositarios vel fideicommissarios possessores, cùm I. *fiduciaria possessio* in bonis alienis occupetur, l. 46. ff. ad *SCtum Trebell.* Episcopalis verò nostrorum possessio præter concessionem legis divinæ etiam de Jure gentium prætendatur, de quo *Hülsemann. in Br. Theol. cap. XIX. §. 21. 22. C. de XX. §. 8.* II. *Depositaria possessio* ad restitutionem tenetur, l. 11. C. *depositi*, hæc nunquam, ob defectum justæ legitimæ, quæ non obstante multorum annorum præscriptione in præjudicium Juris cedit, ut notant *Hermann Meyerer / de præferent. Creditor. lib. 3. tit. 4. ad jus canonicum. C. quarta. c. vigilant. c. ult. ibi: Felin. panorm. & alij Canonista extra. de præscrip.* III. *Fideicommissaria possessio* precariis verbis defertur, *Instit. Justin. l. 2. §. 23. de fideic. hered.* Hæc verò directâ actione per interdictum **UNDE VI** acquiritur, l. 19. ff. *de vi, & vi armatâ.* Cùm verò ab Episcopis heterodoxis ministri orthodoxi instituuntur, nullum saniori Ecclesiæ nasci præjudicium intelligendum est, tum quoad libertatem, tum quoad salutem ejusdem, cùm illa vi pactorum subsistat, Myler ab *Chrenbach / de St. I. R. P. II. c. 82. §. 2. 5.* hæc etiam tali medio, licet ex accidente saltem, obtineatur. Sicut enim *Ψευδαπόστολοι*, etiam præter intentionem suam, salutariter prædicarunt. *Phil. I. v. 16. 18.* ita Patroni & Episcopi diversæ religionis, Ecclesiæ salutem, quamvis sub alio hæc, promovent.

Episcopale jus habens Ecclesiæ, quam ultra debitum tempus, (quod *Iure Canonico* spatio quadrimestri definitur in patrono laico, in Ecclesiasticò trimestri, *Venatorius l. 3. §. de Iure patronatus, ad c. si laicus, §. verum, eod. tit. in 6. sed in Wirtenbergiâ tribus mensibus regulariter absolvitur*, nullo tamen denominantium præjudicio, v. *Const. Major. Wirt. Eccl. tit. von Besetzung der Kirchendiensten*.) Competens patronus viduatam relinquit, pastorem declarat & denominat. Et in hoc se defendit *I. lege divina*, ut ordinentur presbyteri, ubi loca vacantia, idque mediante & accurante Episcopo ordinario, *Tit. l. v. s. II. Iure Canonico. vid. Venatorium, in Ius Can. lib. 3. tit. 38. III. Incommodorum suffimatione*, quia Ecclesia rectoribus destituta gravibus exponitur discriminibus, circa doctrinam & mores. *Vid. text. jud. c. 18. & 19. per tot. & Can. 49. caus. XVI. q. 1. talis processus etiam observatur ab Episcopo, lite inter plures patronos pendente, usque ad eversionem alterutrius partis, nisi exercitium Juris patronatus sequestro cuidam fuerit commendatum.* Hic enim absque præjudicio committentium tale negotium, dum lis finiatur, exequitur; salvâ tamen conscientiâ Pastor ejus patroni vocationi parere potest, qui tempore vocationis suæ fuerit in possessione, cum hæc regulariter, cæteris paribus, sit favorabilior. v. *D. Ofiandri Cas. Th. d. min. Eccles. p. 380. Obj. Ille Episcopus (dantur enim hodie post factam pacem Religionis in multis Ecclesiis plures, Institutor, qui potest esse heterodoxus, Venat. l. 2. §. 7. Abb. in c. extr. d. concess. præbend. & diœcesanus, qui Episcopalem audientiam inter orthodoxos exercet, l. 8. & 13. C. de Episc. audient.) debet præsentare & supplere defectum patroni, cui major cura est animarum in Ecclesiâ vacante; sed diœcesano, qui est visitator & in causis spiritualibus competens Judex, Myler. d. St. I. R. P. II. c. 88. §. 1. major est cura animarum in Ecclesiâ. Ergò, &c. non obstante quorundam instantiâ: Patronum heterodoxum de Jure præsentare & supplere decessoris defectum, mediante exhibitione novi ministri in Ecclesiâ orthodoxam, neque tamen ipsi esse majorem curam Ecclesiæ viduatæ, quàm illi, qui in talem Ecclesiâ Jure gaudet Episcopali. Unde nihilominus ejusmodi suppletionis Jus spectet ad Institutorem, &c. Verùm, quid in hoc casu Jura admittant, quomodo patroni segnes civili possessione sui Juris excidant & in naturali saltem dominio subsistant, & uter Episcoporum Jus præsentationis exercent, vid.*

Venator,

Venator. ad C. si verò ordinatio, ext. d. jur. patron. & Constit. Maj. Eccl^e
 W. §. von Befegung der Kirchendiensten. De exercitio hujusmodi pro-
 motionum per Status Imperii publicis sanctionibus legitimato & con-
 firmato, vid. Myletium d. St. Imp. R. P. II c. 88. de jurisdictione Ecclesiasticâ.
 De facto autem, eoque illaudato est, cum vel in parochias nondum
 vacantes gratia expectativa conceduntur, quæ quàm sint cum libertatis
 Ecclesiasticæ præjudicio conjunctæ, ob despoticam Pastorum obtrusio-
 nem, vid. Thes. n. 2. quod ibi locorum maximè deplorandum, ubi Juri pa-
 tronatus Episcopale simul est conjunctum, vel cum brutus favor sangui-
 nis hæreditariam quandam in præbendis Ecclesiasticis successionem, aut
 minimum suorum prærogativam, quæ prærogativa carnalis Judaicâ dig-
 na est rejectione, præ magis idoneis molitur, vel cum auro & auribus
 graves Mar tyæ, Platonianâ scientiâ & curianis moribus incrustati, melio-
 ribus præponuntur. Vi legum, observantibus Jurisconsultis, taliter pro-
 moti præbendis suis, Can. c. 3. caus. I. q. I. & promotores dignitate suâ
 privandi. Can. si quis Episcopus. 8. Caul. q. I. l. 31. & 42. §. 9. C. de Episc. &
 Cler. Novell. 123. c. 18. & c. I. Nov. 137. c. 2.

Gratia
 Expectativa

V.

Religionem potest quivis immediatus Imperii status
 in suis territoriis reformare. Adtruitur hoc I. ex instrumento
 transactionis Passaviensis. a. 7. Lim. 1. Reformationem exerceri non posse à
 Domino, qui non gaudet merè subditis: tales enim Domini vi legum fun-
 damentalium & Juramenti reciproci sine consensu subditorum in tanto
 negotio nihil immutare possunt. Pufend. lib. 7. de Iur. N. & G. C. VI. §. 10. 11.
 Lim. 2. Reformare non potest Dominus religionem, ut introducat di-
 versam à Romano-Catholicâ, vel eâ, quam protestantes profitentur, quo
 nomine etiam hodiè Calviniani se tuentur. Hornius. Orb. Polit. d. pac.
 Monast. art. 7. Lim. 3. Reformare non potest Nobilis mediatas, Co-
 mes, Baro &c. inter Landsassos, Schrifffassos, Amptfassos, quos Schar-
 schmidius vocat, nuncupatus, quod superioritate territoriali destituatur,
 unde exclusis cæteris circulis de hoc privilegio Sævi, Franci, & Rhenani,
 etiam in feudis mediatis, tantum sibi gratulari possunt. Ehrenbach de St.
 I. R. p. II. c. 84. §. 9. 10. II. Ex factâ restitutione Juris Episcopalis. Qui-
 cunque enim in ditionibus suis præter exercitium Majestatis Jure simul
 Episcopatus gudent, abolendæ veteris, & introducendæ alius Religionis
 jus habent. Sed objiciunt hic Romanenses Episcopi, Reformatorum

Epi-

Episcopos esse saltem fiduciariorum, neque per transactionem Passaviensem Jus ab ipsis esse sublatum, sed tantum suspensum, v. *Constit. pacis Relig. in Recess. Imp. d. anno 1555. §. Damit auch obberthürte.* R. Conditionem, si spectemus *clausulam*, sub quibus Jus illud reddendum compromittitur, censeris impossibilem, moraliter, quoad ipsorum hypotheses, scilicet, ut reddantur nobis ut in vita, sic in fide Episcopi irreprehensibiles. *Instram pac. art. 5. Jus dioces. 16. ibi: suspens. esto.* Conditione autem non expleta, neque effectum juris sortitur stipulatio aut promissum. *Obj.* Nos ceterum terram miscere, Episcopatibus, cum officiis ecclesiasticis, in magistratus politicos translatis, cum sint status distinctissimi. R. *distinguendo* inter exercitium potestatis ecclesiasticæ intrinsecè & extrinsecè, immediatè & mediatè, specialiter & sub generali directione ad ultimum hominis finem tendentis, quorum illa sub titulo ordinis solis Ecclesiæ ministris; hæc autem sub notione Jurisdictionis politicæ secularibus competit, quod praxi Consistoriali confirmatur, de quâ Myler. *d. Sr. I. R. P. II. c. 88. §. 2. 3. 4.* III. *Ob pestem syncretismi*, qui prohibetur, *II. Cor. VI. 14. 16.* Est enim religionum mixtura *1. periculosa*, cum se habeat instar *congruentium* totum corpus sensim devastantis, *II. Tim. II. 17.* *II. scandalosa*, sufflammandam autem infirmorum præsumptio, Religionum discrimina nullo cum animarum dispendio esse conjuncta, *I. Cor. X. v. 28. 29.* III. *Perfidia plena*, publicè & privatim metuendæ; Qui enim DEO, cui potiori jure obligamur, infidus est, quomodo hominibus fidus esse poterit? uti sapienter Diaconum syncretistam perstrinxit Theodoricus, Rex Arianus, de quo Georg. Horn. *Hist. Eccles. art. 3. §. 61. Exc. I.* Dari contra hoc malum remedium: scilicet *compulsionem*, non quidem externam & violentam ad fidem, sed *internam & incentivam ad media fidei*, qualem *compulsionem* commendari animadvertimus *Luc. XIV. 17.* R. verum esse illud:

Interdum doctrinâ plus valet arte malum.

adeoque si hæreticus semel atque iterum monitus correctionis signa nulla præbuerit, illæsa conscientia potest Ecclesiæ excludi potest, ne

Morbida facta pecus totum corrumpat ovile, Gal. V. v. 9.

Exc. II. Cohabitationem hæreticorum cum orthodoxis medium esse ipsorum conversionis, quæ per exclusionem ab Ecclesiæ gremio minus sperari possit: insinuarique haud obscure illorum cum orthodoxis tolerantiam, per parabolam de tritico & zizaniis. *Matth. XIII. 29.* R. loqui hoc in loco Christum non de apertis & notoriis hæreticis, sed de clandestinis

9

7

finis & hypocritis : quorum discretionem à verè fidelium cœtu impossi-
bilem Christus innuit etiam solertissimis Doctoribus, ob externam eorum
circà exercitium ejusdem Religionis congruentiam, adeoque relinquan-
tur oportet objectum solius divinæ notitiæ, *Act. I. v. 24. Exc. 2.* si infidi
DEO tollendi, inprimis tollendi erunt avari, qui **DEO**, sibi & proximo
infidi sunt. *Re. Avarum dare nocumenta sibi potius quàm aliis, inque bo-
nis corporalibus magis, quàm in spiritalibus : cùm hæreticus sibi & pro-
ximo, & quidem circà regnum gratiæ & gloriæ damnum inestimabile
adferre soleat. Addunt his, oportere, ut sint hæreses inter nos, ad ma-
nifestandos eos, qui sunt probati, I. Cor. XI, 19. Re. esse hanc necessita-
tem ex hypothesi, suppositâ post lapsum diabolorum & hominum malitiâ,
adeoque *ἀπιστίας* existentia eventualis tantum est : item hæreticos exer-
cere Ecclesiæ sapientiam. Re. ex accidente esse hanc sapientiam, me-
diumque ejus acquirendæ nimis periculosum.*

VI.

Patronus territoriali simul superioritate gaudens, Ju-
dæos neque in suum territorium recipere, neque olim ab An-
tecessoribus receptos tolerare nonnullis debet. Idque ob
incommoda, ad quæ cavenda *vi nominis & officij* Ecclesiæ tenetur Patro-
nus, tùm consilio, tùm opere, v. *Johann Jacobus à Speidel / auff Aderss
Kron / in Notab. jur. hist. pol. P. verb. Patron. 8. pag. 708.* vide Epistolam
Constantini Magni, apud Theodoretum, l. I. *Hist. Eccl. c. 10.* Non obsta-
te, quod alias dici solet, quod prius fuerit voluntatis, post interposito
pacto, quo etiam infidelibus standum, fieri necessitatis, l. 35. §. *cùm enim.*
C. de donation. *Re. In malè promissis fidem rescindendam.* Quis enim sal-
vo Reip. Statu I. eos toleret, qui à teneris filio DEI ut maledicant, tene-
ri se existimant, ex illo malè assumpto, quod extat *Exod. XXIII, 13. Exc.*
legibus istam impietatem coerceri posse. *Re. publicam posse, privatam*
non item, quippe quæ ex allegatis morali infallibilitate præsumatur,
II. Quis toleret istud hominum genus in Rep. quod justitiam commuta-
tivam ejuravit, quippe quod in annuo Festo Kippurim **DEUM** pro irri-
tandâ fide per contractus Christianis factâ sollicitat, adeoque impune
iisdem posse imponi existimat, ex illo malè intellecto, *Deut. XXIII, 20.*
Exc. superesse media, ad observationem externam legum civilium istos
compellendi : pœnas scil. in eadem etiam delicti specie graviores ipsis,
quàm Christianis, infligendo, quod servi, minùsque privilegiati, l. 28.

§. 16. ff. de panis. & l. 10. l. 17. ff. eod. tit. R. Nefarium usurarum exercitium Judæis alteram quasi naturam fecisse, quàm licet expellas furcâ, neque tamen recursura est. Unde *Immedicabile vulnus Ense recidendum*. Quis denique III. eum in Christianâ civitate toleret, qui optimum illorum, quibuscum vivit, dignum esse dicit, cui tanquam serpenti caput conteratur, eosdemque דגים & דבלים nominare nullus erubescit, ipsumque adeò Magistratum pessundat. Exc. utut hæc ita sese habeant, nihilominus aliquem in mundo locum ipsis relinquendum, & quidem I. ut hominibus: quibus ipse Imperator ceu servis suis Cameralibus privilegia de non offendendo per districtus Imperiales concessit. Myler. ad *Chyrenbach/d. St. 1. R. P. II. c. 60. §. 9.* II. Utin unum nobiscum aliquando fidei corpus coalituris. *Rom. XI. 25. 26.* III. Ut Reip. spiritualia pariter ac civilia commoda præstantibus. R. I. Nemo sua incommoda ab aliorum commodis suspendere tenetur, vi legis communis, cum charitas ordinata incipiat à seipsâ. II. Conversio Judæorum generalis, distributa per singula individua, ex analogiâ fidei non evincitur. Raupp. in *Bibliothec. portat. c. VI. q. 2. de Iudicio extremo.* 3. Uti sufficit nobis ad salutem S. Codex, *Rom. III. 3.* sic quibus in generalia Juris præcepta, ne quis cum damno alterius locupletetur, peccandi non est animus, mediantibus Judæorum artibus ditescere recusant. Vide tamen Balduinum, in *Examine Apologet. Schioppii, cap. 3. de Theologis Saxonæ; & ex Jurisconsultis Johannem Kitzolium in oratione panegyricâ sub rationibus decidendi.* Adde textus Juris Civilis & Canonici, *tot. tit. C. de Judæis & Cælis. c. 10. 11. 12. & seq. caus. 28. q. 1.*

VII.

Salarium Pastores Jure prætendunt. Et quidem I. *Jure natura*, cujus lemma: *Iustitiam cole.* Justitiam autem colimus, dum labores in nos insumptos præmiis compensamus, ut ut juxta proportionem arithmeticam talis Justitia administrari nequeat, cum nulla sit exæquatio inter corporalia & spiritualia commoda. *1. Cor IX. 11.* II. *Jure divino*, dum Levitis ex hac ratione assignantur decimæ, quod sint occupati in Ministerio Ecclesiastico. *Num. XVIII. 21.* III. *Jure humano positivo*, quo prætensionem hanc legitimari agnoscimus ex *Udalrico Zasio Comment. in Digest. nov. hom. VI. Consil. XI. §. 12. f. 134.* Exc. I. Ministerium N. T. in præceptis habere, ut divina oracula & mysteria gratis dispenset. *Matth. X. 8. 9.* de cujus intellectu vero sensu gloriari Apostolum,

lum, in tertio cœlo edoctum. *Act. XX, 34.* cujus imitatores fieri in primis eos deceat, quos oportet esse typum gregis. 1. *Petr. V. v. 3.* *Be. I.* eam prohibitionem esse temporariam, ad solos Apostolos restrictam. 2. *Arg.* laborare elencho finium: aliud enim est docere gloriæ divinæ gratiâ, & aliud docere lucri causâ: prohibetur enim saltem quæstus Simoniacus ex verbo & miraculis. 3. à sublato abusu ad tollendum usum non valet *Conseq.* 4. Paulus comparatè propositum suum exponit, scil. spiritualia se potius, quàm corporalia auditorum bona quæsiuisse. 5. Imitatores Pauli simus in acquisitione & conservatione donorum administrantium & sanctificantium, quod præcepti: non æquè in quibusvis particularibus & personalibus processibus, quod libertatis est hic & nunc attendenda. *Exc. II,* decimas fuisse præcisè Leviticæ ac ceremoniales, adeoque sublatas, quod sublato principali, tollantur simul accessoria. *arg. I. si usufructus. 21. ff. quibus modis usufr. amittitur.* Nitebantur enim fundamento transitorio, ex textu *Deut. XVIII, 2.* *Be.* Ucut fundamentum speciale de quantitate & modo solvendarum decimarum fuerit transitorium, generale tamen morale & perpetuum est, ex illo. *I. Cor. IX, 13. 14.* *Consul. D. Osiandr. Cancell. Theol. Cas. de Min. Eccl. p. 568. & seqq. Exc. III.* Nisi Pastor ex bonis propriis allodialibus vivere possit: præsertim, ubi notoria est auditorii tenuitas, cum nemo debeat sua commoda promoveri cum damno qualicunque alterius. *Be. Vi Juris gentium* is, qui pro communitate laborat, communitatis sumptibus est sustentandus, non obstante domesticâ opulentiâ; moderatè verò à tenuioribus Pastores accipiant, ne avari videantur: eâ tamen cautione, ne quid successoribus præscribatur, penes eos præprimis, qui in hoc passu tenaciter & morosè cum Pastoribus agere consueverunt. Cæterùm negatio stipendii convenientis, quod pro Statu, studiis & familia Pastorum vel splendidius vel angustius esse debet. *Gerhard. LL. Th. de Min. Eccl. c. 7. n. 4.* variis laborat incommodis. Possunt enim ministri ob domesticam tenuitatem, facile prolabi I. in *Simoniam*, spiritualia beneficia numis commutando, quale vitium in Simone Mago perstrinxit Petrus. *Act. VIII, 19. 20.* Possent II. prolabi in *αἰσχροκέρδειαν*, præsertim *πλούτηνοι*, dum liberis thesauros colligere anniterentur, ex illo: *II. Cor. XII, 14.* Possent denique III. prolabi in *seloniam* vel *stellionatum*, qualiter peccant, qui *testamenta* corrumpunt aut monetas adulterant, & id genus *falsarij*, ex quorum *πολυπραγμοσύνη* ad ultimum *Iannis & Iambri* artes enascuntur, de quibus *Exod. 2, v. 2.*

VIII.

Ad Ecclesiam vacantem promovendi potius indigenæ, quàm extranei. I. quia *suis* patria pluris tenetur, quàm *alienis*. II. Quia *fidelitatis* præsumptio est major pro nostris, quàm cæteris. Unde patriæ quid debeatur, agnovisse etiam saniores Ethnicos ex Cicerone liquet. *l. 1. offic.* cùm ejus charitatem omnes omnium charitates complecti fatetur. Unde de Ithaco Poëta:

*Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non finit esse sui.*

III. Quia exterorum prærogativa recidit in ignominiam patria. Excepto calu, quo extranei præ nostris insigniter excellunt. *Nov. XXIII. c. 18.* In specie ad noto, Pastorum filiis sacras præfecturas præ cæteris committendas, idque tenore legis divinæ, *Exod. XXVIII. v. 1. Num. 1. 50. & III. 6. Exc.* hoc fuisse Leviticum, ideoque hodie frustra allegari. *Ex.* Fundamentum hujus legis esse perpetuum, quia tales ob doctorem domesticum in lege divinâ accuratius præsumuntur erudiri. 2. Sacerdotum filii ferendis mundi contemptibus quasi innutrientur. *Exc.* iis ferendis quemlibet Christianum, adeoque quodvis Status Hierarchici subiectum, ad id aptum censeretur, vi Textus, *Matth. X. 39.* *Ex.* Nobis non esse sermonem de Jure sive obligatione, quæ generalis: sed quid plurimum fiat, & quid de communi præsumatur, cùm contra politicos quæ tales, notoria sit præsumptio proverbialis: *Ἡρώων πηματα τέσσα.* Ad ultimum & 3. non obstante Elidarum excessu, *1. Sam. IV.* cujus exemplum nihil præjudicat, quid laudis habeat cujusvis generis ad tantum munus erectio, vid. *1. Reg. XII. 31.* Sed quid Juris, si Pater in unum vel alterum suorum filiorum studiorum causâ tantos sumptus fecerit, ut his reliquorum hæreditatem ferè exhaverit: an tenentur isti hæreditate impostero abstinere, aut quanto plus acceperunt, refundere, quod Jure veteri negatum fuit, *l. 50. ff. de familiâ eriscundâ*, sed correctum per Imperatorem mediante lege *Falcidiâ* per ipsum auctâ, *Auth. Coll. VII. Nov. 92. c. 1.*

IX.

Legitimè potest Patronus unicum ministrum ad duas sibi patronatas Ecclesias vocare. Et hoc I. ubi ædes sacræ ita devastatæ, ut earum redintegrandarum spes in longum non appareat, vel 2. ob exiguam distantiam Ecclesiæ matris à filiali, 3. ob paucitatem auditorii,

rorii, de se sustentare pastorem non valentis. *Can. & temporis. 480*
caus. 16. q. 1. Id tamen hac cautione fiat, ne cultus divinus imminuatur,
 neque charitas proximi lædatur, neque Ecclesia debitis obsequiis fraude-
 tur, quod contingit, cum quis Mammoni addictus, saltem ususfructus
 gratia, plura ad se rapit beneficia, officium sine servitio occupans, quod
 jam pridem in suis perstrinxit *Panormit. c. dudum. extr. de præbendis.*
 Contra quos Titulares Episcopos & Præsules D. Lutherus graviter in-
 vehitur in *præfat. super min. Catechism. in L. Concord. §. D. ihr Bischöffe.*
 videatur D. Osiander *Cancell. Th. Pos. acroam. Art. 11. §. 16. de stat Eccl.*
 Et B. Hüllemann. *Br. ext. Theol. c. 19. §. 11. & d. c. suppl. §. 5.* Notandum
 hic: Pastorem ad filialem Ecclesiam commeantem tempore præsertim
 bellico vel hyemali, ne salus ipsius eventualiter periclitetur, stipandum
 esse tam hominibus, quam jumentis, iisque de publica causâ adscitis. De Ju-
 re enim communi est, eum suppeditare sumptus, cujus commoda quis
 promovere laborat. Eam verò ecclesiam matrem vel primariam vocare
 solent, in contradistinctione ad filialem, in quâ pastor vel residet, vel ad
 quam principaliter vocatus est, vel quæ cæteris usu & tractu temporis
 prærogativam præscripsit.

X:

Patrono incumbit, ut pastoralibus bonis, ædificiis præ-
 fertim, in esse conservandis, Ecclesiam sufficienter dotet. *l. 42.*
c. de Episc. & Cler. De quo Cyn. Eccl. Dec. w. §. 7 Sollen Pastores, was in
 Pfarrhäusern bawtos, dem Geistlichen Verwalter, qui reddituum eccle-
 siasticorum, à patrono fundatorum, curator est, anbringen, ne pereant. Sec-
 cus possunt conveniri per actionem commodati de præstandâ culpa & dili-
 gentiâ. Sed quid juris, redditibus Ecclesiæ tantis non existentibus, ut ex iis
 conservari possint bona parochialia, penes quem onus reparationis sub-
 sistet. *R. regulariter* penes pastorem, cujus hoc in passu convenientia
 est cum *Conduktoribus*, quorum est, *rem possessam in eo statu conservare,*
quo acceperunt, cum non debeant conditionem proprietarij reddere de-
teriorem. Si verò tantum ex redditibus pastores non consequuntur, pa-
 rochiani hæc malo succurrere non dubitabunt: *Inducti ex eo, I. quod ob-*
similem defectum olim quoq; à DEO erat præscriptum, ut populus ad ex-
 tendendum sanctuarium necessaria conferret. *Ex. XXV. 3. 8. c. XXXV. 6. 22.*
c. XXX. 2. II. Ex iure communi, ex quâ enim re quis accipit commoda,
 ex eadem etiam sentire incommoda non detrectet. *III. à comparatis,* ut

cum parochiani sumptus faciant, in corpus ab incommodis quibuscunque defendendum & conservandum: ita & quidem potiori iure non dubitent sumptus facere ad curanda animæ commoda etiam indirecta, quem finem efficaciter intendunt, cum inspectorem animarum v. & amictu ad necessitatem sustentant, obligati ex illo: *Gal. VI. 7.* Eadem verò quæ victus & amictus, prædiorum quoque Pastoralium & bonorum incorporalium servandorum ratio est. V. g. Si pastoribus per militum violentiam pecora ad genus faciendum, quod onus quibusdam parochiis adhaeret, abigantur: vel thesuri in domo Pastoris custoditi, aut lib. i ad Ecclesiam pertinentes, surripiantur, ad quorum præstationem nemo tenetur, ut volunt Jurisconsulti ad *l. 23. ff. d. div. R. l. & l. 5. eod. tit. ll. 9. C. ij. ff. locat. conducti. l. 8. C. eod. tit.* tunc duas partes mater, tertiam partem filialis, Ecclesia subministrat, quæ proportio & in geminis casibus observanda. Sic æquum est, pastoralia promoveri ab auditoribus omni angariarum genere, equis manibusque: *Gerh. LL. Th. d. min. Eccl. c. 7. n. 4. p. 190.* Observanda venit hic rest. *Ar. Cyn. Eccl. & con. Wirt.* circa bona ecclesiastica, §. *Von Pfarrhäusern und Pfarrgütern.* Wann der Nothurfft nach wegen der Pfarrgüter untergãng müssen gehalten/ Sreyn gesetzt und anders *ad retinendam proprietatem*, verrichtet werden, sollen die Kósten auß der Verwaltung gegeben werden. *Decret. Anno 1591. d. 23. Nov.* quoniam verò ad conservanda ea spectat, v. gr. aratio, stercoratio &c. regulariter ex sumptibus pastori sunt, quia usufructuarij tenentur in esse conservare rem possessam. *l. 13. §. 4. ff. de usufructu.* Unde *Cynofura Eccl. Wirt. §. Von Pfarrgütern:* Wann die Kirchendiener ihre Pfarrgüter abgehen lassen / sollen die geistliche Verwalter ihnen darfür ein Stück an der Besoldung innen halten, und die damit bessern. *Synod. R. A. 99.* & sub finem huius paragraphi: was zur Verhütung der Unkosten des Untergangs zurecht gehört, von den Ministris erstattet werden. *Anno 1591. d. 23. Nov.* Sed quid juris, si pastoris ædes incendio confligent, an in eo casu Pastor ad reparandum tenebitur? & quod non, quia casus fortuiti nemini imputantur, *l. 23. ff. d. R. l. nisi culpâ certi hominis factum probetur.* Licet enim culpâ inhabitantium præsumatur contigisse incendium, culpâ certæ Personæ tamen factum probari non potest. *l. si vendita. 11. ff. de peric. & com. rei vend.*

XI.

Forum Clericorum ratione causarum variat. Nam in causis purè Ecclesiasticis vel formaliter spiritualibus à brachio seculari in solidum

lidum exempti sunt, idque jure divino, ne committatur ἀλλοτριωσις πρὸς
πρὸς, vi Textus: I. Petr. IV. 15. In negotiis personalibus civiliter tra-
 ctandis, ad Episcopum proprie sic dictum olim pertinebant, jure huma-
 no Casares, idque cum liberis ac ipsorum ministerio. l. 2. & 28. C. de Episc.
 & Cleric. ad quod tamen Judicium in locis reformatis brachium secula-
 re concurrentem exercet potestatem. *Constit. Eccles. maj.* D. de Lud.
 §. de immunit. Sacerd. In causis realibus bona ipsorum Ecclesiastica atti-
 nentibus, coram Judicio fisci Episcopalis agunt: bona vero patrimo-
 nialia concernentibus, praefatos oppidanos, quae sententiam, recogno-
 scunt, non item quae executionem, cum hæc iudiciis Consistorialibus vi
 Statutorum reservata sit: Vid. d. l. *Constit. Wirt. Eccl.* Notandum tamen
 in causis sive simplicibus sive mixtis Clericos in primâ instantiâ coram Sa-
 perintendente Speciali: in secundâ coram Superintendentibus Generalibus,
 qui Synodales dicuntur, conveniendos, qui tamen non nisi cum Episcopati
 Consistorio exequuntur. de quo Myle. *Constit. Wirt. olim Director in lute*
publ. P. 2. c. 88. §. 2. 4. 6. 7. 8. In criminalibus & causis gladii ante ex-
 auctorationem Episcopus est Judex: post degradationem secularis potestas
 in totum; & hoc jure divino & humano. *Rom. 13. 1. Hülseman. cap. 19.*
 §. 23. l. 31. C. de Episc. & Cleric. Nov. 123. c. 20. Et hæc Judiciorum
 diversitas in respectum Ministerii est introducta, ne à quovis pagano
 prætor aut Cos. oppidano Clerici in Jus vocarentur. *Constit. Maj. Eccl.*
Wirt. §. de immunit. Cler. & D. Osiand. Cas. Theol. art. 3. de Mag. Pol.
 §. 82. *Gerh. d. Mag. Pol. L. Th. c. 8. n. 440.*

XII.

Inter privilegia Pastorum sunt. I. Immunitas ab oneribus tum
 personalibus, ne angarias vel parangarias seu per semetipsos seu per dele-
 gatos præstent, quo pertinet, ne ipsorum ædes milite præfidiario graven-
 tur, cum nullum officium sit, quod totum hominem magis requirat,
Rom. XII. 7. nisi extremus casus necessitatis supervenerit, ubi quid à no-
 bis postulat charitas. *Gerh. T. 6. loc. 27. d. Mag. pol. §. 440.* Nova *Con-*
stit. Frider. Imp. d. stat. & consue. contr. liber. Eccl. coll. X. §. item nulla,
 tum realibus: quæ ipsorum bona, non quid in civilia & propria, ex his
 enim Pastores quæ cives Reip. tributa solvunt. l. 3. C. de Episc. & Cler.
 sed Ecclesiastica & publica: hæc enim à contributionibus ordinariis Ju-
 renaturali & gentium exempta sunt. *D. Osiand. Cancell. Cas. Theol. §. de*
Mag. Pol. pag. 830. 831. & seqq. B. Hülsem. Br. Th. c. 20. §. 15. d. Mag. Pol.
 redum

Pruckner. *Cas. Consc. cent. 7. q. 33. 34. 35.* II. Emeritorum ætate vel morbo fontico ad curatum officium minus aptorum rude donatio. *Constit. Lud. Duc. Wir. §. de privil. Cler.* Commiseratione enim digna sunt, quæ nobis infontibus calamitosa superveniunt. *l. 18. ff. de commod.* III. *Hæredum post fata Ministri consideratio.* Velut autem in Saxoniâ dimidius annus, die Nachfahrt genant / ita regulariter in Wirtembergiâ (nonnunquam enim ob merita defuncti, domesticamve relictorum eg. statem & liberorum pluralitatem extensio contingit) *quadrans anni* à rato defuncti, cum victu & amictu, usufruendus *Vidua & liberis*, intra vel extra Conjugium constitutis, conceditur, quod beneficium in casu non existentium hæredum propiorum, etiam nepotes in Infinitum prætere possunt. *Pasend. l. 4. c. 11. §. 6.* cumque in *Constit. Eccles.* expressè nominentur *Vidua & liberi*, tùm vi hujus copulationis dimidiatam æqualiter bonorum possessionem, inque semissem successionem indigitari intelligendum est, alteram partem *Viduâ*, alteram *liberis* per divisionem *in vitiles* sibi capientibus. Notandum hæc, ex ejusmodi anni gratiæ reeditibus, debitorum defuncti solutionem, nullo juris eff. cta prætendi à *Quæstoribus*, quod sint speciali privilegio exempti, quia magna est legam benignitas ergà *Viduas & orphans*, Hermann M. *yer, de præferent. Creditor. lib. II. §. X. §. 5. 6. & tit. 7. §. 3. & tit. 5. §. 3. 4. 5.* spectantque ad eos omnia legata Ecclesiastica, omnia Jura, & quæcunque parochio defuncto præter fixum salarium prius accessere, ita ut ne Vicarius quidem (qui statutariâ portione gaudet) nummos ex nuptialibus & funeralibus sermonibus collectos suos facere possit. *Carpz. Jurispr. Eccl. Cons. l. 1. §. 7. def. 108. 109. Constit. Maj. Eccl. §. privil. cler. & offic. Superintend.* Quibusdam in locis defuncti Pastoris memoriæ aliis quoque modis benedicitur, scilicet si vel novus Minister, vel Vicarius defuncti Pastoris viduam aut filiam ducere compromittat, ut cum uxore parochiam simul acquirat, quod hoc modo I. non exiguum orbitas sentiat consolationem. II. Quod redditus parochiales per tales nuptias novis Pastoribus commodius ob longum usum accedant. III. Ex analogiâ quadam legis divinæ in V. T. quâ cautum erat, ut orbæ filiæ iis nubèrent, qui essent de eadem tribu. *Num. XXXVI. 8.* sed cæteris paribus, ne dum uni bono inhiamus, duplex malum acquiramus. Limitationem circâ tales nuptias vide in *Cas. Th. D. Osiand. c. 2. d. Min. Eccl. p. 390. 391. 392.* Vicarii in Pastorem defuncti loco, adsumendi, meliores rationes hæ sunt: Si respiciantur me-
rita

rita ejus Ecclesiastica, quæ jam demonstravit, quale quid innuit *Constit. Eccl. Major. Wire. §. von Besetzung der Kirchendiensten. n. So ist auch. p. 161.* Ejus enim administrationi populus jam est aduetus, & à molestis vacantis Ecclesiæ sollicitationibus, promotores non exiguum sentient sublevamen.

XIII.

Patronus Ecclesiæ potest impedire, ne à se præsentatus Pastor vicarias operas præstet vicino, cujus Ecclesia peste infecta est; Cùm non major exterorum ægotantium, quàm conservandorum domesticorum cura nobis esse debeat. *l. 36. C. d. in offic. test. Obj. 1. crudelitatem sapere, proximo in tanta necessitate non succurrere. R. huic malo per quendam catechetem salutariter posse subveniri: & de hac curâ sollicitum potius esse oportere Patronum Ecclesiæ laborantis, vi juris sui. c. filiis. 16. quest. 7. Obj. 2. timiditatis & diffidentia infamiam Patronum sibi suoque Pastori hoc modo aspersurum. R. in Ecclesiâ propriâ hoc procedere, non item alienâ. Obj. 3. scandalum tamen infirmis datum vix ac ne vix quidem hætenus evitari. R. neg. quia actio conscientiosè suscepta & completa neminem scandalizare dicitur, nisi malam mentem D. Dieteric. *Inst. Cat. d. min. Eccl. p. 480.* Et sus incommoda ab alterius commodis nemo suspendere tenetur, cùm Charitas ordinata incipiat à se ipsâ.*

XIV.

Patrono incumbit bonorum Ecclesiasticorum cura, ne vel distrahantur, vel alienentur, vel in profanos usus convertantur. *Lim. 1. nisi extremus casus necessitatis intervenerit, in quo alienatio & in profanos usus conversio sit licita. Lim. 2. nisi prima tabula, quæ formam & Objectum cultus divini, cui serviebant legata, læsa fuerit. v. g. cùm n quis falsis Diis sacellum cum redditibus fundaverit. l. 5. C. d. pag. Lim. 3. nisi specialis intentio, mutato præsertim Reipublicæ & Religionis statu, obtineri non possit, quo pacto reformatio Monasteriorum, sacrorumque reddituum legitimatur. Hænon. *Disput. contr. Jurid. IV. ex §. 8. Inst. th. 3.* In potestate tamen legitimi Possessoris est, ejusmodi sacra vel reformare in usum meliorem, si scilicet in naturali eorum existentia nemo fuerit scandalizatus, cùm hæc, ratione sui, libertatis Christianæ sit: vel potius abolere, morali necessitate, ut ut per accidens saltem obortâ, inductus, cum scilicet infirmis extiterit scandalo, quod tollendum præcipitur. *1. Corin. h.**

rint. X. 32. Sic æreum serpentem bono fine quidem institutum, sed post religiosè coli cœptum, piè sustulit Ezechias *II. Reg. XVIII.* Piè egit Josias, qui cum cultu Baalítico ejus simul templa destruxit, etsi reverà sub notione Baalis verum DEUM se colere existimarent Israëlità. *II. Reg. XVI. 32.* Piè egit Moses, qui aureum Vitulum, genus cultus divini non tam crassum, quàm præsumit, comminuit. *Ex. XXXII. 20. Exc. 1.* voluntates ultimas sanctè alias custodiendas sic violari. *Re.* Vim testatori dici non posse quod inferat, qui ejus voluntatem ob deformitatem enormem voliti in specie, generali obsequio corrigit, *de quo Hænon. contr. disp. 4. ex §. 8. inst. th. 3. Exc. II.* alienatione bonorum sacrorum ad usus alios sacrilegium committi. *l. 1. C. d. crim. sacril. Re.* Sacrilegium dici non posse, quò bona Ecclesiæ cum ejus consensu & commodo in alios usus non minus necessarios transfert. *Myler d. st. 1. R. P. II. c. 88. §. 17. Exc. III.* hoc modo fundationes legatorum ad pias causas infrequentes futuras. *Re.* Necessitatem carere legibus: & in casibus extremis videndum, non quid fieri soleat communiter, sed quid in præsens fieri possit. Morosiores autem sunt Macchiavelistæ quidam, qui vi Canonum: *Cujus Regio, ejus & Religio: qui potest majus, potest & minus:* non obstante vel generali vel speciali Fundatorum intentione, præsertim cum cultus elicitus & scandalosus sint & prohibiti, in quocunque casu, etiam non extraordinario, sacra bona de jure profanari posse existimant, vi eorum, quæ adducuntur à Pufend. *de jur. nat. & gen. l. 4. c. 6. §. 13. 14. Re.* per contrarium ex textu: *l. 83. ff. §. 5. sacram. de verb. obligat. II.* Nihil præjudicat, quod dicitur *l. 5. ff. C. de pagan.* ubi Ethnica templa fisco vendicantur. Ratio enim est concludendi dispar à cultu satanæ, ad cultum veri DEI; cum quod unquam vero DEO sacrum fuerit, amplius profanari non possit. *l. 43. ff. d. relig. & sumpt. fun. III.* Non obstat, Regibus & Principibus vi territorialis superioritatis bonorum ecclesiasticorum competere administrationem, adeoque & dispensationem, cum hanc potestas inferior non possit prætere. *Re.* Concedi administrationem consistentem in protectione Ecclesiæ, bonorumque ejus, cui propterea ex bonis Ecclesiæ præmium competens non denegatur, non verò arbitriam & depredatoriam, reddituumque ad objecta promiscua indifferentem & despoticam usurpationem. Notum enim est illud:

Das Kirchen-Gut hat eifern Zähne/
 Frisst eines mit dem andern hin/
 Und bringt dem dritten (Erben) kein Gewinn!

COROL.

COROLLARIA.

I.

Remorio pastorum ad ius Episcopatus, non Patronatus spectat, qui in illo fundatur competentia iudicij pastorum. Myler. de S. I. R. P. II. c. 88. §. 2. 4. 6. 7. 8.

II. Rationes reddituum Ecclesiasticorum ad Episcopum, non patronum spectant, cum legis diocesana exercitium iuris Episcopalis, ad quod illa referantur, tantum sit.

III. Pastores absque laesione suae auctoritatis deponere possunt iuramentum Religionis, fidelitatis & calumniae, quia in honestis Magistratui obtemperandum. Rom. XIII.

IV. Decima pastoribus debentur ex fructibus, antequam ex his census ac tributa praestantur, quia res cum onere suo transit. Venator. l. 3. in jur. patr. §. 30. d. decim.

V. Pastores in parochiâ, quâ vivunt, omnibus civilibus privilegiis gaudent. Const. Eccl. Ducis Ludov. Wirt. §. immunit. past.

VI. Pastoribus paganis in publicis processibus praecedentia competit praerogativa praefectis, cum status Ecclesiasticus, magistratus auctoritati connexus, politico prepolleat. II. 2. 13. 33. 39. 52. C. de Episc. & Cler.

VII. Ad habendum gratis concionem nuptialem nemo pastorum obligatus censetur. vid. Const. Maj. Eccl. Wirt. §. Ordnung der Ehe Einleitung. cum ad instantiam partis de pretio quoque pacisci liceat pastoribus. Pruck. Cas. Conc. Cent. 4. p. 213. quod in simili quoque casu attendendum.

VIII. Multa per censuram ecclesiasticam in meo pago corrogata, non debet in oppidi diocesani ararium inferri. Principaliter enim & iuxta dictamen rectae rationis ac charitatis nostris est prospiciendum.

IX. In censurâ ecclesiasticâ pastorem ipsum dictare & decernere poenam consultius est, quia Pastor iudicii praeses & caput est. 2. Quâ moralitas artificialis, usuali, in pagis praesertim, accuratior. & ut 3. majus pondus pastoralis reverentiae accedat.

X. Commodè iudicis censoris, die Vogt. und Rugggericht genant/ pastores assident, 1. quia in his iudiciis cententur vitia contra utramque tabulam commissa. 2. Quia ob interesse bonorum parochialium salubrius pastores ipsi in hoc iudicium admittuntur. 3. In corrigendis vitiis majus est momentum pastoralis praesentiae, quàm absentiae.

XI. Sententiam mortis ultimam periculoſo conſilio maliciſis paſtores aper-
riunt; neque enim triſtitia, ſed lætitia nuntios oportet eſſe paſtores. Bi den b.
Man. Min. Eccl. p. 747. P. u. Kner. Cas. Conſc. Cent. 4. Q. 97.

XII. Ius funerandi mortuos regulariter à preſbyterio eſt impetrandum,
cùm cura cœmeterij ad eccleſiam proximè ejuſque antiſtites pertineat.

XIII. Vltro paſtores poſſunt ſuas reſignare parochias, cùm omnibus inte-
grum ſit ius ſuum pro ſe introductum remittere, & proprio ſe abdicare be-
neficio. l. pen. C. de pactis.

XIV. Fruſtum graminis, &c. qua in cœmeteriis colliguntur, uſus fructus,
de iure paſtoris, non editui aut ludimagiſtri eſt, quiſi horum circa ſacra iis q̄
annexa tanta ſolicitudo non eſt, quanta iſtius: majora autem onera, ma-
jora commoda ſequi par eſt. l. 10 ff. de reg. jur.

XV. Paſtores, ſtante & ſalvo ipſorum miniſterio, Medicinam exerce-
re poſſunt; ſicut Pauli Miniſterio, etiam vi extraordinariè vocationis pluribus
eccleſiis intento, non repugnavit exercitium mechanicum. Act. XX. in fin.

XVI. Patronum de preſbyterio Eccleſiæ ex bonis fundatis haud ſuſten-
tans, non leve committit peccatum, quod formaliter iniuria eſt.

XVII. Rationum pupillarum Aſſeſſores de iure ſunt Paſtores etiam pa-
gani, quia viduarum & orphanorum cura pars eſt ipſorum miniſterij.


XVIII. Moroſus eſt patronus, qui inſtituram ſui paſtoris Epifcopo con-
cedere recuſat, ex eo, quod ſic juri Patronatus ſui adnaſcatur præjudicium,
cùm illa ſit actus juri Epifcopali regulariter impetens.

XIX. Nullum paſtoribus, mutato ſolo fructuum quorumcunque aliàs de-
cimalium, præjudicium inferitur, quantum ad decimationis prætenſionem;
ſicut ex agris decimalibus, qui lapſu temporis in prata degenerarunt, cùm
prius frumenta produxerant, decimas graminis vel fœni, den Graß. und
Heuzehenden, de iure prætenſere poſſunt. Myler, Director Conſ. Witt.
in S. Imp. R. § de decimis, c. 70. §. 9.

XX. Armis, gladiis, ſcolopetis, &c. paſtoribus iter facientibus non pot eſt
interdicti, quia vi legis naturalis, juxta moderamen inculpatæ tutelæ vi-
tam ſuam, non ſecus ac alij homines, tueri ac defendere tenentur.

XXI. Clericali officio Venationis exercitium ſimpliciter denegari nequit,
cùm præter honeſtæ recreationis reſpectum, nulli hominum generi, & con-
ſequenter neque paſtoribus, conſtitutione hominum præciſâ, repugnet.

XXII. Ludimagiſtri & Sacriſtæ ſine præſcitu competentis Miniſterij per
Præfectos ab Eccleſiâ vel ſcholâ abſtrahi non poſſunt. cap. ne pro deſectu. 41.
ext. de electione.



[Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side.]

